DE
ABUSU HYDRARGYRI,

JAM MAGIS MAGISQUE INCRESCENTE,

UNDE MORBI ET AFFECTIONES MORBOSÆ, SYPHILITICIS PERSÆPE SIMILES, NASCUNTUR,

PROLUSIO

ANNUNTIANS SCHOLAS CLINICAS,

DE MORBO SYPHILITICO

AUTUMNALI ET HYBERNO TEMPORE HABENDAS

A

DR. MED. *J. C. W. WENDT*,

PROFESSORE, MEDICO PRIMARIO NOSOCOMII COMMUNIS METROPOLEOS,
EQUITE ORDINIS DANNEBROGICI AURATI etc. etc.

Graviora morbis patimur remedia.

HAVNIÆ MENSE SEPTEMBRI ANNI MDCCCXXIII.

TYPIS EXCUDEBAT ANDREAS SEIDELIN,

AULÆ REGIÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

L. B. S.

Anno millesimo octingentesimo vicesimo scriptionem in lucem edidi, quæ symbola historiæ de venereis in Dania morbis inscribitur. — Hæc scriptio erat clinicæ de syphili prælectionis ingressio, qvam scholam qvovis autumnali et hyberno tempore habere solitus sum. Redeunte nunc eodem tempore anni, qui nunc agitur, hujus morbi cursum denuo aperire constitui. — Id agens, a proposito non alienum duxi animum advertere ad quosdam morborum casus, eos præcipue, qui seriori tempore frequentes et, hyeme proxime elapsa, frequentiores in nosocomio urbis communi fuerunt, ibique tractati sunt, Mercurialium abusus vel pravi usus unice effectus.

Constat Nosocomium Metropoleos Commune esse asylum, quo confugiant tam affectionibus morbosis primitivis, quam præcipue chronicis, inveteratis syphiliticis morbis et affectionibus, laborantes; quorum morborum curæ et tractationi hoc nosocomium quoque auctoritate publica destinatum est, ex quo valetudinarium Sancti Johannis a Metropoli ad locum Roeskildiæ vicinum migravit *).

De abusu mercurii, præcipue in affectionibus syphiliticis, mentionem faciens, artis æsculapeæ studiosum juniorem et inexpertum præcipue moneo; et de tali abusu cum dolore querens, practicastros **), suis viribus nimis fidentes, intelligo, qui, nulla religione tacti, hoc remedium temere arripiant.

*) Beretning om St. Hans Hospitals og Claudi Rossets Stiftelses Forflytning til Bidstrupgaard, udgivet af Malling, Pontoppidan, Jessen. Kiøbenhavn 1808 Pag. 10—13.

**) Vetera mihi memoria repetenti risum movent facetiæ beati *Tode*, qui spurios istos practicos in tres classes, *Practicastrorum*, *Practicastunculorum*, *Practicastunciusculorum* divideret.

Est nimirum hydrargyrum et manebit remedium, quod non solum in totius corporis organismum penetret, sed etiam materiam organicam destruat *) *idque eo certius, quo magis continuus hujus remedii, corpori appliciti, usus fuerit,* neglecta insuper prudentia, qua in hujus remedii usu opus est, cujusque necessitatem ipsa experientia confirmavit.

Horresco referens, quam sæpe viderim supinam negligentiam, *idque nostro coelo* et *sub plaga septentrionali* **), nullo discrimine servato præscribendi ægrotis, qui morbis syphiliticis laborant, mercurialium usum; et obstupui *ardorem videns ac intensissimam curam, ut ægroti oxydo hoc metallico se ingurgitent, insignem quantitatem deglutiant,* tam *intus, quam extus, totum* corpus *mercurio large imbuant.* Hisce imperitis et inexpertis curæ non est regimen diæteticum, ut cuilibet ægroto, ita syphilitico morbo laborantibus, adeo necessarium, et corporis constitutionis hominis ægroti ratio adhuc rarius ab iis habetur ***).

Nonnullæ æstates, quibus coelum arrisit, et quædam hyemes, quarum tempestas mitior fuit, culpæ effectus quidem in horum practicorum commodum mitigarunt, sed hyems proxime elapsa poenam retardatam gravitate compensavit: tum enim apparuerunt mala, quæ nosocomii communis medicos latêre nullo modo potuerunt. Jam anno millesimo octingentesimo decimo quarto, quo tempore cura medica prostibulorum, lue venerea laborantium, mihi mandata est, luctuosa hæc mala repetiti usus mercurialium, præcipue quam late hæc mala diffusa essent, cognoscere didici, in iis maxime horrenda, *quorum morbosa constitutio, ut morbus scrophulosus et rachitis, sub multis variis formis et speciebus proruperat.*

*) Dr. *F. H. Hegewisch* de usu hydrargyri in morbis inflammatoriis adnotationes. (Programma). Kiliae 1810. pag. 5.
Dr. *J. Wendt* testatur se expertum esse anevrismaticam dilatationem cordis et arteriarum non raro e hydrargyri usu enormi effici. vide Wendt: die Lustseuche in allen ihren Richtungen 1816. p. 272.

**) *J. G. Klein* de morbi venerei curatione in India orientali usitata. (Specimen inaugurale). Havniæ 1795. pag. 8. 9.
John Howard's practische Bemerkungen über die Lustseuche, aus dem Englischen übersetzt. Leipzig 1789. 2ter Theil Pag. 203. 204.
Principles of military Surgery etc. by *John Hennen.* London 1820 p. 580.
Hufelands Journal d. pr. Heilkunde 1822. Septbr. p. 25.

***) *F. Swediaur* Traité complet des maladies vénériennes ou Syphillitiques. Paris 1809. T. II. p. 342.

Meum non minus ad hæc ulcera faucium mercurialia animum advertit Collega meus conjunctissimus Professor *Thal*, cujus hæc ulcera tractandi et curandi methodum, ejusque methodi utilitatem silentio non præterivit Ephemeris, quæ inscribitur: Magazin der ausländischen Litteratur der gesammten Heilkunde von Gerson und Julius. 2 B. Pag. 17—18.

Plures quidem libri de morbo venereo etiam casus, ex hydrargyri abusu ortos, non intactos reliquerunt. Hunter *), Swediaur **), Howard ***) et Hahnemann ****) varios casus nominarunt, quos hydrargyrosis protulit.

Anno proxime elapso plures medici anglici, iique celebres, magnam navarunt operam, ut præcipue observationes morborum, syphili similium, et mercurii usu in peius degenerantium, colligerent. Præ ceteris nominare convenit Abernethy †) et aliorum commentationes ac observationes ex ephemeride, quæ Medical-Repository inscribitur, sumtas et in collectione Rustii (Magazin 5 B. 3 Heft. pag. 363 a Doctore v. Embden in germanicam lingvam translatas. Secundo loco nomino opus, in quo morbi mercuriales copiose tractantur, intelligo illud, quod autorem habet *Andream Matthiam*, hujus operis tertiam editionem; quod opus in germanicam lingvam a Doctore Robbi (Lipsiæ 1822) est conversum ††). Tertium locum occupanto observationes Thomæ Rosæ †††) et *Guthrie* ††††). Hi libri lectu digni sunt. Egomet ipse in horum morborum cura et tractatione ex hisce fontibus hausi.

*) John Hunter Abhandlung über die venerische Krankheit (aus dem Englischen). Leipzig 1787. p. 419.

**) *Swediaur* l. c. T. II. p. 342.

***) *John Howard's* practical observations on the venereale disease Vol. II. p. 178. (Translat. germanic. pag. 141).

****) Samuel Hahnemann Unterricht für Wundärzte über die venerischen Krankheiten rc. Leipzig 1789. pag. 260—266.

†) *John Abernethy* surgical observations. London 1804. p. 108.

††) *Andrew Mathias* the mercurial disease III. Edict. London 1819.

†††) Vide Medico-chirurgical Transactions. London 1817. Vol. III. pag. 349—426. Vide Rust's Magazin 4 Bd. 1stes Heft Pag. 63—145. Bemerkung über die Behandlung der Syphilis.

††††) *G. J. Guthrie* An Essay on the venereal diseases. Dubl. 1814. Vide Rust's Magazin 5 Bd. 2tes Heft Pag. 242.

Animus est in hac prolusione observationes publici juris facere, quarum copia sæpius mihi facta est, de duobus morbis nempe *affectionibus morbosis mercurialibus nimirum ulceribus faucium* et *ulceribus cavitatis oris*, in quibus dijudicandis medentes sæpe errarunt. Deinde proferam, quæ de *exanthemate* vel *eczemate mercuriali*, in cujus diagnosi quoque erratum est, tam sæpe expertus sum. Forsan pauca, quæ de ea re hic conscripsi, ad diligentiorem diagnosin illorum duorum mercurialium morborum ducere possunt. Hoc loco non loquor de ulceribus et excoriationibus totius cavitatis oris, a latere lingvæ ad radicem lingvæ versus: neque magis loquor de aphtosis excoriationibus in superficie cavitatis oris, hic et illic obviis, quas ex salivatione nasci satis notum est; hæc symptomata confestim evanescunt, ubi usus mercurii cessat, salivatio minuitur, simulque os aptis collutoriis purgatur, et debitum regimen servatur *).

Ulcera mercurialia faucium, ad quæ ut animum advertant, artis æsculapeæ studiosos rogatos velim, sunt ulcera, quæ venerea ulcera sæpe adeo referunt, ut vel experti medici, primum eorum fontem intuentes, si plures causas diagnosticas velut in subsidium vocare neglexerint, nonnunquam decipiantur. Hæc ulcera a venereis habitu externo tanquam charactere distingvere complures studuerunt **) et præcipue illorum faciem cinereo-albicantem ut attributum necessarium attulerunt: verumtamen non hæc sola, sed etiam *tota illorum externa forma* et *species acie oculi medici exercitati multo facilius definitur* ac *declaratur, quam vel diligentissime exponendo vel copiosissime describendo;* et practicum, qui usu et dexteritate minus valet, ne diligentissima quidem descriptio ab errore satis tutum ac securum præstat, *nisi idem, examine indeterminato et determinato prudenter instituto, diagnosin morbi satis certam ac tutam sibi comparare didicerit.* Proh dolor! ut in aliis casibus syphiliticis, ita quoque in hoc intempestivus quidam pudor, affectione syphilitica ægris proprius, et minus veri studium medico examinanti gravia impedimenta objiciunt.

*) *Callissenii* Systema chirurgiæ hodiernæ Edit. 4. §. 836 pag. 469.
Astruc de morbis venereis 1711 T. 1. pag. 470.

**) *Astruc* l. c. pag. 484. *Abernethy* l. c. pag. 117.
L. v. Lagneau die Kunst alle Arten der Lustseuche zu erkennen, zu heilen, ꝛc. 1815. pag. 112–113.

Experiar nunc, si modo possum, fortunam horum calamitosorum ad veritatis naturam depingere et ostendere. Juvenum non pauci, intempestivo hoc pudore capti, in *uno alterove primitivo syphilis casu* medicum gnarum et peritum (qualis censeri potest, qui ipsorum parentibus medicam opem ferat) in consilium non adhibent: contra sæpe suos commilitones, eosque adhuc artis æsculapeæ tyrones, adeunt; quin nonnulli juvenes, quod adhuc pejus est, medicinæ et chirurgiæ studentes, ac Æsculapii templum in limine vix salutantes, enchiridiis et compendiis forsan se ipsos, si talem morbum sibi contraxeruut, curare ac sanare tentant. Tales in quavis pustula parva, et affectione faucium catarrhali, luis venereæ effectum illico suspicantur, et uti mercurii dosin hauserunt *), ita *illorum hypochondria animique anxietas crescit.* Juvenum alii ad practicastros, ob promtissimam horum morborum sanationem prædicatos, confugiunt, quorum multi, ut beati nostri F. L. Bangii verbis utar, in culpa sunt sanationis incompletæ, fomitisque morbosi residui, citius seriusque foecundi, si vel ob ignorantiam vel sordidi lucri causa remedia ad celanda symptomata **) haud vero ad morbum ipsum exstirpandum sufficientia porrigant ***). Sic omnia mercurialium præparata præscribunt (unusquisque eligit ea, quibus maxime favet) et *quotidie* præscribunt *parva dosi* ****). Interdum cessat mercurii usus nimirum gingivis dolentibus: sæpe fortiores doses porriguntur, sæpe mercurialia præparata diversa alternant; ubi nullus eorum effectus in gingivis vel canali intestinorum apparuit, aut ubi affec-

*) Neque recte mercurialia semper propinantur, et sæpissime propinatur hydrargyrum muriaticum mite unacum saccharo albo, nulla substantia mucilaginosa aut lignosa admixta, sed minus recte; etenim saccharum in cochleari liquescit, et oxydi hydrargyri unum granum vel duo grana partim in eodem cochleari partim inter gingivas evanescunt.

**) *F. L. Bangii* Praxis medica Edit. 2 Hafniæ 1818. pag. 584. §. d.

***) *Henr. Fried. Walther* Dissertat. inaugural. medica prodens: *Quod plurimi ægrotorum moriantur magis juxta leges artis, quam naturæ.* Halæ Magdeburgicæ 1717. §. XIX. Rheinische Jahrbücher für Medicin und Chirurgie v. Dr. Harles VI B. pag. 65–66.
Hufelands Journal d. pr. Heilkunde 19 B. 4 St. 1807. pag. 81—84.

****) Frictiones ungventi hydrargyri cinerei, multorum practicorum judicio, minus nocivæ, ad bubonem resolvendam quotidie instituendæ, symptomata summi periculi in subjectis, mercurio sæpe usis, non raro cient, et lentam ac insidiosam mercurialium in fauce effectuum occasionem præbent. J. v. Vering über die Heilart der Lustseuche durch Quecksilber-Einreibungen. Wien 1821 pag. 70.

tiones syphiliticæ increscunt, earumque facies in deteriorem mutatur. *Hæc omnia aguntur, ut ab initio monuimus, nullis regulis diæteticis præscriptis, nullaque ægroti ac climatis ratione habita.* Tandem symptomata, prænuntia affectionum mercurialium, in cavitate faucium adsunt; ægrotus tensionem quandam in arcu faucium et tonsillis sentit, quæ adhuc diu pro affectione catarrhali habetur, dum is raucitate injucunda et tensione, ad nares posteriores adscendente, vexatur. Tum demum inspectione faucium graves excoriationes in arcu faucium et superficie anteriore uvulæ apparent, præterea aliquanto altius ferê ulcera, quæ maculas subalbidas, irregulares tonsillarum referunt. Hæc ulcera et hæ maculæ partim evanescunt, interdum alio loco redeunt. Quod si practicus, ægrotum tractans, hæc ulcera, quæ erumpunt, consecutiva venerea esse sibi persvadet; opinatur suum esse, miasma venereum exstingvere, neque desistit a mercurii usu, et aliud mercuriale præparatum eligit secundum hanc regulam satis notam *): "Si distincta luis venereæ signa adsunt, et præparatio una mercurialis absque effectu adhibita fuerit, interdum ad aliam confugere cogimur."

Quid igitur mirum! si omnes horrendi effectus cujusdam veneni mercurialis **), ut hoc vocabulo utar, non procul absunt, si *Cachexia mercurialis* adest ***), si *affectiones glandularum in scrophulosis, et morbosæ affectiones texturæ ossium spongiosæ in subjectis rachiticis præsto sunt.* Ægrotus, suam conditionem quotidie deteriorem fieri animadvertens, practicum juvare non valentem (qui casus persæpe incidit) relinquit, et ad alium practicum decantatum confugit. Tum ægrotans remedia, quibus antehac usus est, et *quidquid anteactum fuerit, magna ex parte celat et dissimulat.* Novus, quem is adiit, practicus denuo mercurialia sub diversis formis svadere et propinare incipit, quo facto, *symptomata ingravescunt, neque pauci eorum, qvibus hæc calamitas accidit, quam ipsi parentes una cum tota domo horrent, nosocomium tanquam asylum quærunt.* Ibi multa tristia expe-

*) vide *Callisen.* Syst. chirurg. Vol. I. pag. 467.

**) C. W. Hufeland System der practische Zeitkunde 2 B. 3 Abth. pag. 289.

***) Joseph Louvriers nosographisch-therapevtische Darstellung syphilitischer Krankheitsformen &c. 2 Aufl. Wien 1819 pag. 184. 186 &c.

riendi facultas mihi oblata est *). Sic nuperrime apud talem ægrotum formulas a quinque practicis præscriptas vidi, qui omnes mercurialia præscripserant, et horum ultimus largo insuper temporis spatio insignem mercurii sublimati dosin ab ægroto deglutiri passus erat. Talium corporis constitutio sæpe adeo destructa est, et adeo abnormis, ut *menses, quin anni exeant, si hoc temporis interstitio illorum valetudo in meliorem et ferendam conditionem revocari possit.* Neque raro confecti et tabescentes, quin ulceribus et affectionibus ossium morbosis pleni, in febrem hecticam incidunt **), et, quamvis cura optima fruuntur, omnibus remediis frustra tentatis, ante diem cadunt, ac cum commiseratione omnium, quos humana calamitas tangit, exspirant. Apposite de his calamitosis vates ita canit:

Affligens in nocte magis, cruciatibus implet
Innumeris, corpusque vigil, tabescit, et inde
Viribus exhaustis homo fit deforme cadaver.

Du Port.

Sic veritatem rei, quam experientia confirmat, ego sequens, breviter et vere proponere studui tam *causas quam tristem progressum, e pravo mercurialium usu ortum in miseris hominibus, qui, primitivis affectionibus angore vexati, malo fato, uti practicorum quilibet his miseris proximus est, ita facillime hujus fidei se committunt* ***). Ægrotum si vexant ulcera faucium vere syphilitica consecutiva, is profecto, ex abusu mercurialium sibi idem accidere exspectare potest. Hæc ulcera sæpius vidi mercurii abusu transformata in ulcera faucium vere mercurialia. Fa-

*) Quidquid *Doctor Wedemeyer* ulceribus mercurialibus ejus generis et Matthiæ experientiis objicere videtur (vide Rust Magazin für die gesammte Heilkunde 9 B. 2 Heft.) nullius momenti est, et dilabitur, ut primum historiam morbi paginis 270—280 allatam legisti.

**) *S. Hahnemann* l. c. pag. 262, 263, 264 &c.
Hufelands Journal d. p. H. 2 B. 4 St. pag. 512 &c. ibid XX B. 4 St. pag. 93.
Dr. J. F. Henzel von der Bergsucht und Hütten-Katze. Dresden 1745.
Dr. J. F. Fritze: Handbuch über die venerischen Krankheiten. Berlin 1797 pag. 316 &c.

***) Velim, Lector doctus *per totam hanc prolusionem meminerit, de abusu hydrargyri et de vitio in ægrotis tractandis me solummodo queri*, et parum cautos monere; sed abusus non tollit usum, *certis legibus et conditionibus adstrictum.* Vide systema Callisenii nostri pag. 462—464. Habet quoque celeberrimus Hufeland de eodem argumento digna; ad quæ præcipue medicinam facere incipiens animum advertat, in libro, qui inscribitur System der practischen Heilkunde 2 Band pag. 286—287.

cile quoque intellectu est talia ulcera continuo mercurialium usu in pejus mutari. Cessante mercurialium usu facies ulceris melior apparet, et, diæta roborante adhibita, sæpe sua sponte tale ulcus sanari incipit. Pari modo multæ affectiones vel multa symptomata, quorum causa nihil minus quam syphilitica est, deteriora evadunt, multæque excoriationes et pustulæ sive genitalium *) sive cavitatis faucium prava tractatione, quam supra nominavimus, in ulcera mercurialia non transformantur solum, verum etiam universa ægroti corporis constitutio destruitur. Ceterum lectorem delego ad præclaram disquisitionem per Abernethy **) et ad opera Londini edita ***) ac translata in germanicam lingvam in ephemeride, cui nomen Rust Magazin 5 Bd. 3 Heft 1819 Pag. 412 etc.

Supra dictis adjungo, non raro in iis, qui affectionibus phthiseos pulmonalis tuberculosæ laborant, et in eorum pharyngis parte posteriori quædam ulcera oblonga, subflava, superficialia inveniri, similia iis, quæ in morbo, stomacace infantum dicto, in superficie interna labiorum oris conspiciuntur ****). Hæc ulcera prodeunt præcipue tum, cum ægrotus raucedine vexari incipit, et usu linctus ad aphthas fugere solent.

Supra jam diximus practici examinantis officium esse *prudentia et animo tranquillo, ab omni opinione libero, diagnosin horum ulcerum certo veram sibi comparare* *****). Ego idem ingenue fassus sum, non semper in potestate medentis esse, e facie ægroti, morbum sæpe annunciante, e cachexia mercuriali, e gingivæ exul-

*) M. A. Weikard: Toilettenlektüre für Damen und Herren. 2ter Theil Pag. 436. Frankfurt am Mayn 1797.
Dr. A. F. Hecker deutliche Anweisung die venerischen Krankheiten genau zu erkennen, 2 Auflage. Erfurt 1801. Pag. 149—156. Scheu über Krankheitsanlagen der Menschen. Wien 1821 Tom. I.

**) L. c. pag. 108. On Diseases resembling Syphilis.

***) Medico-chirurgical Transactions l. c.

****) Batemans pract. Darstellung der Hautkrankheiten, aus dem Engl. übersetzt von Hahnemann, mit Anmerk. von Sprengel. Halle 1815 Pag. 351. 354.
Willan delineations of cutaneous diseases Plat. LI. fig. 2. 3.

*****) G. H. Ritter Darstellung der scheinbaren Aehnlichkeit und wesentlichen Verschiedenheit, welche zwischen der Schanker- und Tripperseuche wahrgenommen wird. Leipzig 1819. Pag. 167—170.
Samuel Coopers neuestes Handbuch der Chirurgie v. Dr. L. F. v. Froriep. Weimar 1820. 2 Bd. Pag. 466—468.

ceratæ foetore specifico, e tumore glandularum parotidearum, e singulari efflorescentia ad latus nasi, menti, colli, denique e singularibus *rubris* non rutilis *maculis* indolem ulcerum et excoriationum, quæ in cavitate faucium præsentes sunt, statim sat certo concludere et intelligere.

Sæpe bene multa, in oculos incurrentia, symptomata essentialia, ex hac mercurii vi et actione in constitutionem profecta, ne præsto quidem sunt. Ubi vero neque gingivæ, neque glandulæ salivales mercurii vi notabiliter affectæ sunt; et *ubi hæc ulcera, id quod sæpe accidit, non prius provenere, quam ægrotus jam per plures hebdomades mercurialium usum intermiserit, et postquam tota ægroti facies præviam salivationem non amplius prodit; diagnosis morbi difficilior est* *). Hæc ulcera non raro in ægrotis prorumpunt, qui, affectionibus syphiliticis laborantes, mercurialibus plerumque ad salivationem largam usque usi sunt, quæ post aliquot *hebdomadum spatium evanescunt, et in alio loco denuo apparent.* Ut hic quoque sat certa cognitio parari possit, necesse ducimus repetere, quæ in ulceribus faucium examinandis ac finiendis supra monuimus. *Plurimum interest ægrotum diligenter et cum quodam rigore examinare, illum acri et serio vultu examinare, et rationibus adductis efficere, ut intelligat se, ubi ea, quæ nunc interrogandus est, celaverit et falsa locutus fuerit, vel vera dissimulaverit, effectum tristem ejusmodi falsiloquii, nimirum pravam ipsum ut ægrotum tractandi rationem, sibi tribuere posse.* Quæstiones, quas ægrotis, qui morbis syphiliticis laborant, proponere, eorumque responsum ad has quæstiones exigere soleo, sunt quæ sequuntur:

a) *Prima Quæstio:* Quonam vitæ genere ægrotus utitur, præcipue quod opificium, quamve artem exercet, num is faber aurarius, metallurgus an inaurator est **)?

b) Num is affectionibus syphiliticis *pluries affectus fuit,* quanam earum specie, et *quibus temporis intervallis* ***)?

*) Carl Fr. Clossius über die Lustseuche. Edit. altera. Tübingen 1799 Pag. 405 ꝛc.

**) Ramazzini: die Krankheiten der Künstler und Handwerker, neu bearbeitet von Patissier, aus dem französischen übersetzt von Dr. J. H. G. Schlegel. Ilmenau 1823 Pag. 65—67.

***) Si occasio oblata fuerit ad curandum, ut ægrotus vestimenta exuat, et cubitum eat, tum licebit, causa abdominis examinandi prætenta, totam corporis superficiem lustrare et jam primo conspectu

c) Num exploratum habet, 1) se mercurialibus usum esse, 2) eorum usum ad salivationem usque esse continuatum, sive sub mercurialium usu alium effectum, nimirum diarrhoeam, apparuisse, *sive usum mercurialium una alterave de causa esse intermissum?*

d) Quamdiu eo, quo nunc laborat, morbo afflictus ægrotavit, et quodnam hujus mali initium fuit?

e) Quænam remedia applicata fuerunt? quo consilio omnes formulæ ægroto a practicis, qui antehac illum tractarint et curaverint, præscriptæ exiguntur, *ut de quantitate, qualitate et specie remediorum mercurialium, quibus ægrotans usus fuerit, constare possit.*

f) Est quoque illa quæstio magni momenti: *quo tempore ulcera in faucibus provenerint, utrum ea prius, quam ægrotus mercurialibus uti coeperit, apparuerint, an inter usum horum remediorum:* in priori casu, *num ulcera mercurialium usu sanari coeperint, et usu mercurialium continuato tantummodo ex parte et primo tempore sanata sint; sed postea, mercurii usu nunquam intermisso, deteriora facta sint: an ulcerum sanatorum loco, mercurii usu intermisso, alia ulcera hic illic in cavitate faucium denuo proruperint, quæ, uno loco sanata, sæpe alio denuo loco appareant, præsertim si forte ægrotus refrigeratione sive prava diæta peccavit.*

g) Denique ægrotus interrogatur, *ubi natus* et ultimo tempore commoratus sit, idque eo consilio, ut ne decipiamur singularibus affectionibus morbosis endemicis, quas ad syphiliticas prope accedere non ignotum est *).

varia signa anamnestica, ut *cicatrices magnarum bubonum*, tophorum et plurium indagare, et hac ratione plura sibi comparare, quæ ad diagnosin morbi conferre possint, præcipue si narrationi ægri plena fides tribui nequit.

*) Ab hoc loco alienum est attributa propria, quibus quilibet morbus endemicus, ad syphilim prope accedens, distingvitur, proponere et enumerare. Non possum tamen, quin laudem titulos operum maximi momenti, in quibus hi morbi et hæ affectiones morbosæ tractantur. Hosce morbos et has affectiones in Islandia existere nunc endemicas *) ex nullo libro, medendi peritiam et scientiam

*) *Jonas Gislesen* De Elephantiasi norvegica. Hafniæ 1785 p. 4. §. 4.
Dr. C. E. Mangor Underretning om Radesygens Kjendetegn, Aarsager og Helbredelse. Kjøbenhavn 1793.
Zwey Abhandlungen über Radesyge von Arbo und Mangor aus dem dänischen mit einer Vorrede von P. J. Hensler. Altona 1797.
Dr. Pfefferkorn über die norwegische Radesyge und Spedalskhed. Altona 1797.
Dr. *Holst* (Commentatio) Morbus, quem Radesyge vocant, quinam sit, quanamque ratione e Scandinavia tollendus? Christianiæ 1817.

Comparato sic, quo opus est, cognitionum lumine, certe quantum luminis parari possit ad *diligens examen cavitatis oris et faucium transitus;* quod examen, ut supra diximus, absque ulla, animum occupante, opinione, et absque ulla cupiditate ulcera mercurialia indagandi, institui debet *).

Æger situm erectum habens ita collocandus est, ut totam ipsius faciem lux illustret **). Is jubetur collare exuere, et os plene aperire; id dum facit, aegroti faciem scrophulosam diligentius animadvertere licet. Tum lingva et lingvæ radix deprimitur. Hæc depressio ope perticæ, dimidii pollicis densitate, spathulæ formam habentis, commodissime perficitur ***).

Sub hac faucium inspectione sæpe leves tantummodo excoriationes in tonsillis, aut quædam cinerea, subflavo muco tecta, aphthis non raro similia, ulcera plana deteguntur, partim in *superficie anterioris uvulæ, partim quoque dextrum sinistrumve palati arcum versus se diffundentia.* Eodem tempore plerumque *in*

probante, comperire potui; verumtamen egomet ipse nonnullos Islandos, curæ meæ traditos, accepi, in quibus curandis et tractandis ad statum morbosum, non dissimilem morbo endemico, qui Marsk- aut Radesyge vocatur, respicere necesse mihi fuit.

*) Valde dolerem, si hanc scriptiunculam edens, — cujus finis est *animum practicorum* ad *affectiones mercuriales, solito sæpius occurrentes, advertere, et ad certiorem diagnosin et tractationem ducere* — juniori et minus excercitato practico vel remotius occasionem aperirem faucium ulcerum plurima, ad quorum medelam ægrotus mercurio usus est, ut ulcera mercurialia tractandi, *sive*, ut hac locutione utar, *ulcera mercurialia aucupandi!!* Fuit tempus, quo unusquisque infans, morbo faucium catarrhali affectus, Cynanche membranacea, Croup, dan. Strubehoste laborare putabatur, quare hi miseri infantes hydrargyrum muriaticum mite large deglutire jussi sunt!!

**) *Corn. Celsi de Medicina* Lib. III. Cap. VI. §. V. (Edit. C. Krause) Lips. 1767 pag. 130.

***) Ubi hæc exploratio, ope sic dictæ spathulæ oris metallicæ, propter subitum vomendi nisum in ægroto institui non poterat, spathula vitrea adhibita, nullum talem nisum animadversum esse experientia docuit. Forsan metallica spathula modo galvanico agit.

Bartholini medicina Danor. l. c. pag. 101.
Faeroae et Faeroa reserata af Lucas Jocobsen Debes. Kjøbenhavn 1578 Pag. 283
Eduard Thomas (Dissert. medic.) *De Framboesia.* Havniæ 1789.
Brandis om den Dithmarskiske Syge. Bibliothek for Læger 1813. 4 Bd. Pag. 1—26.
Strube über die aussatzartige Krankheit Holsteins. Altona 1820.
Dr. *Helwig* disquisitio de sic dicta Pseudo-syphilitide. Acta Reg. soc. med. Hav. Vol. VI, p. 267.
Dr. *E. A. L. Huebner* de morbi dithmarsici natura ac indole. Kiliæ 1821.
Sibbens Scotiæ. ab *Robert Hamilton.* vide Salzburgische medic. chirurgische Zeitung Febr. 1819. Pag. 198.
De Skarlievo morbo. vide Medicinische Jahrbücher des Kayserlich. Königl. Österreichischen Staats. Wien V Bd. III St. Pag. 104. IV St. 1820 Pag. 43.
Heinrich v. Martius Abhandlung über die krimmische Krankheit. Freiburg 1819.

superficie genarum interna similia ulcera apparent, ut plurimum in tractu ductus stenoniani, vel etiam aliqvanto penitius ad dentes molares majores, simulque ad marginem radicis lingvæ similia ulcera.

Gingivæ hic illic quibusdam albis maculis, quæ aphthis similes sunt, obsitæ reperiuntur. *Foetor oris specificus non semper clare sentitur.* Quod si ægrotus, ut supra diximus, magna hydrargyri copia continuo aut per vices usus fuerit, præterea regimine peccaverit, tum vero non gingivæ solum exulceratæ sunt, et foetore sangvinem fundentes, insuper glandulæ salivales intumescunt; verum etiam una alterave tonsilla aut arcus veli palatini ulceribus latioribus et profundioribus, muco flavo obductis, sæpe consiti reperiuntur, quæ ulcera neque ipsi uvulæ parcent. Cum medicus *lingvæ radicem in quibusdam horum miserorum altius depresserit; ulcera subrotunda ejusdem indolis occurrunt in parte posteriori pharyngis,* quæ cum faciem adhuc magis flavam præbeant *) et plura ulcuscula in unum confluant, sed horum ulcerum margines lardi faciem non referant, rubrique appareant, et ad tactum molles sangvinem fundant; nomen ulcerum cancroideorum syphiliticorum hisce ulceribus minus dolorificis non recte inditum est.

In ægrotis *habitus scrophulosi*, de quibus supra diximus, una tonsilla aut ambæ tonsillæ *cum circumscripta exulceratione intumuisse communiter reperiuntur,* et in ejus *earumve medio profundæ exulcerationes, ulceris venerei faciem habentes, indagantur;* neque raro apertura interna tubæ Eustachianæ **) excoriata est; verum enim vero in diligenti hujus examinatione, potissimum ope spathulæ vitreæ, *nulla substantiæ jactura occurrit, neque margines dilaceratæ, lardaceæ* conspiciuntur. Hisce similes profundæ exulcerationes et excoriationes apparent ad *radicem lingvæ, ad latus dentes molares majores versus* ***), et lingvæ facies in eo loco est, tanquam ejus pars excisa esset; ulcus tamen ejusdem indolis, ut

*) Nautas, qui, affectionibus venereis laborantes, mare petunt, mediisque, quibus suæ valetudini se optime prospicere opinantur, sanitatem magis destruunt, quam recte curant, ex itinere redeuntes faciem supra dictam ostendere sæpe vidi.

**) Sam. Coopers neuestes Handbuch der Chirurgie. l. c. 3 B. 1821 P. 467.
In hac apertura tubæ Eustachianæ materia quædam flava hæret, magnitudine exigui ciceris, quam ægrotus diverso tempore, tussicula urgente, ejicit; hæc materia est mollis, casei instar, et foetet.

***) Sæpe dens cariosus et acutus efficit, ut ulcus hunc locum confestim occupet. Vide Heuermanns vermischte Bemerkungen ꝛc. 2 Bd. Kopenhagen 1767 Pag. 26. 27.

supra attulimus. Quod si nunc hæ affectiones memoratæ medicum decipiunt eumque ad mercurialia inconsulto et denuo præscribenda, præcipue ad mercurium sublimatum præscribendum permovent; parvo post tempore *tota sæpe uvula — opinione citius — suppurando evanescit: quid quod etiam ex parte velum palatinum, ita ut palatum durum cariosas margines exhibeat* *).

Ex his, quas supra memoravimus, complicationibus facile intelligitur, quam difficilis harum affectionum et ulcerum diagnosis sit, quantaque prudentiâ medenti utendum sit, ut *ne*, *consilio præceps*, *nimis cito suspicetur ulcus, quod tractat, mercuriale esse, quamvis ut tale censeri non possit.*

Parvas sæpe circumstantias, easque occasionales, nos in hisce repetitis cavitatis oris inspectionibus diligenter examinantes et conferentes, *horum ulcerum propensionem ad locum mutandum animadvertere semper debemus.* Recentiores scriptores, et in his præcipue Matthias l. laudato pag. 168, *hanc propensionem ut signum pathognomicum nominat ad ulcera mercurialia finienda ac terminanda.* Contra alii pro signis essentialibus diagnosticis ad ulcera mercurialia faucium dignoscenda habent, si hæc plus doloris afferunt, quam ulcera vera syphilitica, et ubi horum dolor tensivus faucium sub deglutitione et vocis contentione minus tolerabilis est **). Quæ ipse expertus sum, illa me vetant posteriorum sententiæ assentiri. Equidem multo potius beati F. C. Winslowii regulam amplector: Ulcera syphilitica, si ea causticis, ut solutione sublimati corrosivi, ut liquore Bellostii, tangantur, puriora fieri et facilius sanari: e contrario ulcera mercurialia, ejusmodi causticis remediis adhibitis, impuriora evadere, magis sangvinolenta esse, et latius manare, atque, usu mercurialium cessante, lætiorem faciem ostendere.

Inspectionem oris et faucium relinquere prius non possum, quam *de ulceribus venereis superficiei internæ labiorum oris et lingvæ* pauca dixero, nam horum ulcerum facies mercurialium vel cancrosorum faciem non raro mentitur. Nimirum hæc ulcera prodeunt, ubi ægrotus mercurio solummodo usus est, dum

*) Novissimæ observationes medicorum Anglorum confirmant, omnesque in eo conveniunt, ut in affectionibus syphiliticis ossa raro afficiantur, si modo absque mercurii usu tractantur & curantur. vide Medical-chirurgical Transact: Vol. 8. pag. 56. pag. 425.
S. Coopers first lines of the primitive of Surgery Edit 4. pag. 354—356.

**) J. F. Fritze Handbuch l. c. Pag. 310, 317 ꝛc. ꝛc.

gingivæ dolent, et *ubi caustica fortius et inconsulto applicita fuerunt.* Horum ulcerum species albicans et plana. Externo usu mercurialium hæc ulcera latius serpunt, et margines lardaceæ planiores evadunt. Egomet ipse ut testis oculatus testari possum, mulierem longo temporis spatio tractatam et curatam fuisse, adhibitis remediis, cicuta, sassaparillæ decocto, et diætam restrictam servatam esse; quæ cura nihil profecit, donec alius medicus arcessitus ægrotanti hydrargyrum muriaticum mite ejusque largam copiam ad salivationem usque præscribere ausus est. Tum ulcus, quod illam per spatium fere octo mensium vexaverat, brevi tempore sanatum est.

Alter casus, nempe *ulcera venerea primitiva lingvæ, rarius quidem occurrit.* In hoc nosocomio, in tanta scortorum copia, mihi quoque data est facultas videndi et tractandi hæc ulcera et has excoriationes. Coitus impurus illa genuerat, dum quidam nautæ sive russici sive ab America septentrionali advecti, (id referre nauseam mihi facit) ut ipsi adversus luem veneream in tuto essent, orificium oris horum scortorum ad coitum celebrandum delegerant.

Quoniam hæc prostibula sæpe repetitis vicibus usa sunt mercurialibus ad salivationem usque, tum vero, si vera causa ignota esset, hæc ignorantia facile opinionem gigneret, talia ulcera pro mercurialibus venereis primitivis haberi. Quæ, supra nominata, ulcera sub mea cura occurrerunt, *initio oblonga erant, neque profunda et coloris subflavi densi; sed intra paucos dies profundiora facta sunt et confluentia, fere per totam lingvam se diffuderunt, magis magisque dolorosa, et margines quodammodo lardaceæ. Denique etiam in lingvæ marginibus, præcipue lingvæ apice, ulcera ejusdem coloris provenerunt, quorum apici lingvæ insidentia maxime doluerunt.* In arcu palati quoque ulcera similia provenerunt, sed hæc non multum se diffuderunt, et magis circumscripta fuerunt. Doloribus increscentibus, tota res in eo vertitur, ut hisce calamitosis foeminis paratissimum levamen parari possit. Confugi ad jusculum avenaceum mucilaginosum, aquæ calcis mistum, pro colutorio; præscripsi linctum mucilaginosum e gummi tragacantha, adjuncta convenienti portione hydrargyri muriatici mitis.

Horum remediorum usu et diætâ lacteâ ambarum ægrotantium foeminarum conditio non levata solum est, sed brevi post harum utraque convaluit.

Prognosis ulcerum et affectionum faucium.

Faustum et felicem eventum semper præsagire licet, ubi ægroti corporis constitutio *nondum frequenti et repetito usu mercurialium alto gradu in morbosam est mutata.* Etiam bene sperare semper licet, ubi ægroti corporis constitutio firma et bona est, neque ipse ægrotus regimine utitur, quod perfectam ipsius sanationem difficilem reddit.

Contra ea *curatio* semper *minus fausta et valde diuturna*, ubi ægroti valetudo, ut supra memoravimus, *valde labefacta est*, *ubi is cachexia et affectionibus scorbuticis laborat* *), *ubi is symptomatibus syphiliticis tam primitivis*, *quam consecutivis sæpe vexatus fuit*, *quæ symptomata repetitis vicibus mercurii usu curata sunt*, ubi is antea affectus fuit et *adhuc afficitur affectionibus pectoris chronicis*, *symptomatibus scrophulosis rachiticis*, *in quibus substantia ossium spongiosa simul vexata est.*

Neque *minus difficilis* et longi temporis curatio est, ubi ægrotus præter affectiones mercuriales *correptus est symptomatibus venereis nondum sublatis.*

Magis chronica et medici patientiam fatigans curatio est, ubi ægrotus *vix convalescens eidem malo denuo implicatur. Ulcera faucium valde pertinacia* esse solent, neque remediis, quæ opponuntur, facile cedere, medico multum negotii facessere, et ægrotum satis melancholicum et fere desperatum anxietate animi et angore premere. Aëris et coeli tempestate mutata, præcipue tempore autumnali, medicus certo exspectat, quem curavit, ægrotum redire, et medici auxilium denuo expetere, nisi idem alios medicos suamque fortunam sub horum cura experiri malit (vide paginam 8vam). Sic per biennium me cum talibus ægroti cujusdam ulceribus sanandis acriter conflictavi memini; neque raro occasio mihi oblata fuit videndi conditionem ægroti mercurialium usu deteriorem fieri, *si in potestate mea non esset miserum ægrotum*, *qui semper luem quandam veneream in suo corpore latêre suspicaretur*, *a mercurialium usu retinere.*

*) *Th. Bartholini* de medicina Danor. domestica. Haffniæ 1666 pag. 91.
Dr. *J. A. Schmidt* Prolegomena zur Syphilidoclinic. Wien 1803 Pag. 37.
Russische Samlung für Naturwissenschaft und Heilkunst v. Dr. Chrichton, Dr. Rehmann u. Dr. Burdach, 1 Bd. 1 Heft. Riga u. Leipzig 1815 Pag. 34—37—52.

Denique *eventus minus faustus*, *curatio longi temporis, magni quoque periculi*, ubi medicus ulcera mercurialia ægrotantium, qui lue venerea *nunquam laborarunt*, sed *morbis endemicis, ut supra memoratis, affecti fuerunt*, tractare cogitur. Hic omnis medici conatus et labor sæpe prorsus nihil proficit, et medicus sæpe cogitur satis habere, si miserrimam ægroti conditionem levare valet, ipse — ut otiosus calamitatum ægroti spectator — commiseratione dignus.

Hæc ulcera tractandi et sanandi methodus.

Horum ulcerum curatio et sanatio primo omnium exigit *omnia mercurialia removeri, et diætam ab ægroto servari*, deinde eos præcipue, quorum vires fractæ et debilitatæ sunt, vesci carne et jusculo carneo, primo tempore tenuissimo, posthac magis nutriente. *Præter hæc ægroti aërem frigido-humidum cum maxime fugiant*, *regimen calidum servent*, et ab omni tempestatum et ventorum acerbitate se abstineant, necesse est. *Ægrotus laneo indusio et calidis vestimentis uti jubetur* *). Ægrotantibus, quorum glandulæ salivales sunt saliva refertæ, et quorum vires id ferre possunt, lene laxans præscribitur. Quod si ægrotus vino et spirituosis adsvetus fuit; portionem ei concedere licet, quantam ejus natura et infirma conditio ferre potest. Ceterum pro potu ordinario ægrotus decoctum radicum Smilax Sarsaparillæ **) seu radicum Caricum arenarearum ***) sive radicum Saponariarum officinalium †) sive Smilax-China ††) sumet. Herpete vel alia efflorescentia cutanea laborantibus decoctum radicum Smilax-Sarsaparillæ cum radicibus Arctii lappae sive stipitibus Solani-Dulcamaræ †††) sive putaminibus Juglandium regiarum

*) *Callisen* l. c. Vol. I. pag. 257.

**) An Attempt to discover the virtues of the Sassaparillaroot in the venereal disease by *Will. Fordyce* London 1755 pag. 149.

***) C. F. Schumachers medicinisch-chirurgische Bemerkungen. Kopenhagen. 1800. 1 Band. Pag. 6.

†) *P. J. Bergii* materia medica. Stokholmiæ 1778 Tom. I. pag. 371.

††) *Gabriel. Fallopii* de morbo Gallico liber absolutissimus. Venetiis 1574 pag. 209.

†††) *Swediaur.* Pharmacopœia syphilit. 1804 pag. 26.

commendo *). Quorum ægrotorum corporis constitutio arthritica et rheumatica est, ii bene se habent, ubi nominatis medicaminibus adjungitur rasura ligni Guajaci **) uti quoque scrophulosis et scorbuticis consulitur, si decocto radicum Sarsaparillæ herba Menyanthis trifoliatæ adjungitur. Ægrotantium si qui continuo decocti Sarsaparillæ usu laxitatem alvi contraxerunt, huic medicamini quantitatem rasuræ ligni Hæmatoxyli campechiani apponi jussi, unde magnam utilitatem ægrotus cepit.

Si ægrotus scrophuloso morbo affectus sit, *Balneis marinis* ei utendum est, quæ primo tempore repetitis vicibus calefiunt, dum ægrotus *tepida*, *denique frigida* ferre valet. Ægrotorum quotquot affectionibus pectoris laborant, iis optime consulitur, si aërem rure sanum et tempestatem mitem quærunt, sive domicilia rustica prope mare eligunt, ibique diætam lacteam servant, æque ac moderatum usum extracti Cicutæ pilularum forma induti ***). Ad usum externum infusum Cicutæ ut gargarisma, colutorium et fomentatio in ulceribus mercurialibus talium ægrotorum curandis ac sanandis summæ utilitati fuerunt. In casibus singularibus *Opium* non levamen solum attulit, sed etiam caute, suoque loco et tempore propinatum, ad meliorem ulcerum conditionem non parum contulit ****).

Corticem peruvianum, potissimum in forma decocti, et *martialia* in aegrotis curandis velut auxilia comparavi, ubi debilitas usum horum remediorum posceret, quibus adhibitis, convalescentia ægroti accelerata quoque est.

Balnea marina, ut supra nominata, balnea *aromatica sulphuretorum* et *martiata* sub certis conditionibus prætermitti non debent *****).

*) Stephan-Sainte-Marie über die Heilung veralteter venerischer Krankheiten ohne Quecksilber, übersetzt von Renard. Leipzig Pag. 113—115.
Friderich das Pollmische Dekokt und die reinigende Würkung der Wellschen-Nußschale. Wien 1794.

**) *Ulrici de Hutten* liber de guajaci medicina et morbo gallico. Mogunt. 1519 Capit. III.
J. Heuermann vermischte Bemerkungen und Untersuchungen. Koppenhagen 1767. 2 Band Pag. 21.
Fabre vollständige Abhandlung von der Erkentniß und Cur der venerischen Krankheit aus dem französisch. übersetzt von Schröder mit Vorrede u. Anmerkungen von J. C. Tode Koppenhagen 1777 P. 344.
Mathias l. c. pag. 179.

***) Bangii Praxis medica pag. 557. 604.

****) Dr. F. A. Walch: Ausführliche Darstellung des Ursprungs, der Erkentniß, Heilung und Vorbeugung der venerischen Krankheit. Jena 1811 Pag. 180—181.
Carminati opuscula therapevtica. Ticin. 1788. Vol. I. No. 6.

*****) J. D. Brandis Anleitung zum Gebrauche des Driburger Bades. Münster 1792 Pag. 96 —.
H. T. Schregers Balneotechnik oder Anleitung Kunstbäder zu bereiten und anzuwenden. Fürth. 1803. 2 Theil Pag. 81—122—141.

Quod si symptomata adhuc supersunt monstrantia ægrotum affectionibus venereis vexari, quæ prorumpere minantur; tum *vero caute et prudenter progrediendi non una causa subest.* In tali casu natura ipsa medico præscribit, pravis mercurialium effectibus primum succurrere et mederi; quibus sublatis, et organismi effectu magna ex parte ad statum normalem reducto, *medici est remediis ad syphiliticas affectiones oppugnandas accommodatis, sive internis sive extrinsecus applicitis, quibuscum thermarum usum et calidum regimen conjungat, omnem suam operam conferre, ut affectiones syphiliticas, adhuc relictas, tollere possit.* Quod si etiam ossa spongiosa cavitatis faucium et nasi affecta sunt; ut remedium mercuriale, svadeo usum mercurii præcipitati rubri, conjuncti cum decocto sarsaparillæ. Vide, sis, meam de hujusce remedii utilitate disquisitionem in Actis Regiæ societatis medicæ Havniensis Volum. Vto pag. 282—285 *).

Si ulcus faucium suspectum occurrit, et *nullum periculum in mora est, adhibenda mihi videtur quædam mora* etiam in ægrotis, quos syphilitico morbo laborare non temere suspicamur. Illud idem svadeo, si ægrotans in *metallis fabricatur, ad quæ mercurio utitur*, vel, *vitam sedentariam degens, ad morbos scorbuticos propensus est* **). In toto hoc genere *præcox ingenium et judicium præceps et nimia festinatio nocent; neque ante pronunciandum est, quam omnia collecta sunt, quibus ad recte et sat tuto pronunciandum opus est* ***).

Nec quidem in veris ulceribus mercurialibus, ubi mercurium postponendi et removendi satis valida ratio adest, mercurii *usus nimis cito denuo arripiendus est*, si primis hebdomadibus magna utilitas non satis apparuit. Contra, si tota

*) Forsan sub certis conditionibus usus oxymurias auri cum soda muriatica sive limaturæ subtilissimæ auri, quem Dr. Chrestien commendat, exspectationem hujus medici non frustratur. Vide Dr. J. G. Niel Untersuchungen und Beobachtungen über die Würkungen der Goldpräparate des Dr. Chrestien. Uebersetzt von Dr. L. Cerutti. Leipzig 1825 Pag. 89 (confer. Annal de Chemie et de Phys. T. XIX 1822 fol. 177. &c.).

**) *Bangii praxis medica* pag. 579. "Mercurialia in scorbuticis salivationem *citam*, enormem, damnosam et difficulter sedandam provocant."
F. v. Schraud: Verbindung der Lustseuche m. d. Schaarbocke. Wien 1791.

***) *Max. Stoll.* Rationis medendi pars tertia. Viennæ - Austriæ 1780 pag. 442. ubi legimus: "Curam antivenercam eo usque protrahendam, donec omne miasma penitus fuerit exstinctum, Quivis concedet; *sed quæ signa sunt miasmatis ex toto deleti?* An symptomatum plena evanescentia?"

ægroti corporis constitutio in meliorem mutari coepit, satis manifestum est, quin in oculos incurrit, ulcera faucium quoque sanari coepisse *). Equidem paucis, attamen, ut spero, satis declaravi meam curandi ac sanandi methodum in his mercurialibus faucium affectionibus. Ad casus singulares, et raro occurrentes, medicus rationalis supra allatam methodum, ratione subjecti habita, accommodare sciet. Angustum spatium, quo hæc scriptiuncula circumscribitur, non minus, quam consilium, me vetat, quo minus multos complicatos casus hoc loco explicare et persequi possim. Neque, quantumvis vellem, hoc loco proponere possum diversas, ope mercurii natas, formas in ægrotis, quos syphiliticæ affectiones vexant**), *quorumque corporis constitutio ad phthisin* ***) *sive morbum scrophulosum* ****), *scorbuticum* *****) inclinat: neque formas, quæ prodeunt, ubi ægroti, de quibus supra diximus, dominanti *constitutione annua sive epidemica simul afficiuntur.*

Argumenta multa et gravia confirmant, plures affectiones mercuriales *vicennio abhinc vel viginti quatuor annis abhinc beneficio diætæ restrictæ, cum de-*

*) *Richard Carmichael.* An Essay on the venereal Diseases, which have been confounded with Syphilis. Dublin 1814. Part second pag. 217 &c.

**) F. A. B. Puchelt Beyträge zur Medicin als Wissenschaft und Kunst 1 Band. Leipzig 1825 Pag. 55. Rich. Carmichaels Beobachtungen über die Zufälle und specifische Unterschiede der venerischen Krankheiten. Aus dem Englischen v. Dr. C. G. Kühn. Leipzig 1819 Pag. 6 Pag. 22.
Georgii Nicolai Holm Diss. auguralis. Singulares quasdam observationes *circa mercurii usum internum* Havniæ 1750 pag. 14.

***) G. Wedekind, Fragmente über die Erkentniß venerischer Krankheiten. Hannover. 1740 p. 102, 103.

****) *J. L. Alibert.* Nosologie naturelle Tom. premier. A Paris 1817 pag. 441 Pl. A (Scrophule rongeante). *Johannes Rabbén* de præcipuis causis mali scrophulosi. Commentatio academica. Lundæ 1817 pag. 36. Dr. J. Rabbén Om Skroflernes Orsaker och dietetiske Behandling. Lund 1819.

*****) Acidorum mineralium utilitatem in affectionibus mercurialibus ipse expertus sum. Quindecim circiter annis abhinc in nosocomio urbis communi ad diversorum scortorum, affectionibus syphiliticis laborantium, curam ac tractationem acida mineralia adhibita esse vidi. Quorum effectus in fæminis, quæ mercurialibus sæpius ad salivationem usque antea usæ fuissent, quarum facies præterea cachectica vel diathesis scorbutica apparuit, præcipue salutaris fuit. Neque animi dubius et suspensus in affectionibus mercurialibus, simili casu incidente, acidis mineralibus uti dubito. Medical cases selected from the Records of the *Public Dispensary* at Edinburgh, by *Andrew Duncan.* Third. Edit. Edingb. 1784. pag. 363.
Bærens om Syrers Brug i Syphilis. Skandinavisk Literat. Selsk. Skrifter 1809. Pag. 281-307.
Holst dissertatio de acidi nitrici usu medico. Christianiæ 1816. pag. 105, 106, 116.

cocti radicum sarsaparillæ sive radicum chinæ et extracti cicutæ usu conjunctæ, sanatas esse et hac curandi methodo adhuc sanari. Hoc loco intactum praeterire non possum, neque apud Gallos tam celebratum *syrupum antisyphiliticum* (vel *Roob antisyphilitique du Laffecteur*), qui hujus gallici arcani mercatori suum cognomen debet *), neque illius, quam fama adeo celebravit, *obstetricis, cui nomen Larsen, iatrolipticam curam.*

Diætam restrictam (vulgo Sultekuur danica lingva) quod attinet; tam beatus *Winslöw,* vir memoriæ immortalis, optimo successu, quam plures medici, hujus exemplum secuti, in quibus veteranus noster, vita quoque defunctus, beatus *Bang,* (vide *Bangii* Praxis medica 1789 pag. 575 (Annotatio)) hac curandi ac sanandi methodo usi sunt. *In œgrotorum numero,* quorum sanatio hanc methodum valde commendabat, *bene multos fuisse, quos affectiones vere mercuriales infestarunt,* quilibet hujus rei curiosus certior fiet, cum legerit Museum **), quod *Clemens Tode* edidit.

In paginis laudatis leguntur quorundam morborum historiæ, methodum supra honorifice nominati *Winslowii* confirmantes, et a *Reinharto*, Chirurgo Nosocomii St. Johannis, conscriptæ (pag. 344—352). *Winslowii morbos syphiliticos sic dictos inveteratos curandi ac sanandi methodum*, neque parvum in hos miseros meritum, oblivionis tenebris exemerunt hi duumviri *Bang* et *Tode*, sine quorum cura hocce meritum, ut multa alia, sepultum jacuisset, sicut Syracusani Archimedis sepulchrum latuisset, nisi M. T. Cicero exstitisset et præturam Siciliæ obtinuisset. *Winslowii* discipulorum multi, disciplina et manu hujus ducis adjuti, plurimum profuerunt et adhuc prosunt cognitione, quam ex hujus magistri ore hauserunt. In Holsatia, ubi morbus, Marskfyge dictus, in variis tractibus grassatus est, methodus *Winslowiana* quoque summæ utilitati fuit. Quamvis cum Doctore *L. A. Struve,* qui opus edidit, non prorsus idem sentiam de ipsius methodo diæta restricta

*) *Observations* sur l'histoire et les effets *du Roob anti-syphilitique du Cit. Boyveau Laffecteur.* Paris (Derniére édition?!) pag. 41 pag. 149. Swediaur l. c. Tom. 1. pag. 43, 45.
Hufeland, neueste Annalen der französischen Arzneykunde ꝛc. 2 Band 1793 Pag. 419. §. 3.
Cullerier über die Lustseuche ihre Zufälle und Heilmittel herausgegeben von Renard. Maynz 1822.

**) Todes Museum for Sundheds- og Kundskabs-Elskere. Kjøbh. 1789. Pag. 16, 266, 275, 344.

utendi, me tamen, Slesvici natum, adeoque popularem, valde juvat *Winslowii* nostri meritum vel copiose ab hoc autore commemorari, et *Winslowium* hujus methodi inventorem nuncupari et verum nuncupari *). Contra ea non sine justi doloris sensu legimus, hanc methodum per totam Germaniam ferri a Sueco, cujus nomen *Osbeck*, inventam **). Dr. Medicinæ *Osbeck*, cujus debitæ laudi nos, verum unice quærentes, nihil detractum volumus, *Winslowium* audiverat. Hunc ducem eundem ac magistrum ad lectos ægrotorum comitans, vidit, quanto successu, *Winslowio* præeunte, casus ægrotorum difficillimorum sanati sint. Doctor *Osbeck* eadem curandi et sanandi methodo posthac in Svecia utens, parem successum habuit ***); quin ei contigit, ut Rex ad illam methodum animum adverteret, et a nominato Doctore *Osbeck* adhibitam sanandi methodum vulgari juberet; is quoque mandato paruit, et præmium ter mille imperialium svecorum (Svenſk Banco) ad nostram computandi rationem 2625 imperialium (Sølv) reportavit, et præter hanc summam pensionem annuam quingentorum imperialium svecorum (Svenſk Banco) ad nostram computandi rationem circiter 438 imperialium (Sølv). Supra nominatus Doctor *Osbeck* primum sveca lingva ****), postea gallica *****), hanc curandi methodum suo nomine edidit. In utroque scripto beati *Winslowii* nomen alto silentio premitur, quantaque hujus methodi pars nostro *Winslowio* debeatur, hic auctor reticet.

De diæta restricta (Sultekuur vulgo dicta), de hujus methodi utilitate in affectionibus mercurialibus et de nostri *Winslowii* merito quoque in his morbis curandis ac sanandis hæc sufficiant. Homines tamen molles, lauti et uncti ac divitiis affluentes, supra nominatis et syphiliticis putatis symptomatibus affecti, sic dictam Sultekuur non facile tolerant, quare seriori tempore supra nominatus

*) L. A. Struve über Diät- Entziehungs- und Hungerkur. Altona 1822. vide paginam 40—43.

**) Rüſts Magazin 1817. 5 B. p. 166. sub nomine: Beſtätigung der Heilkräfte der Osbeck'ſchen Hungerkur.

***) P. G. Cederſkjöld Indledning til en närmare Kännedom om de ſå kallade udartade veneriſke Sjukdomarne och deras fordom brukliga Behandling medelſt Svältkur. Stockholm 1814 Pag. 39.

****) Fullſtändig Uppgift af min brukade Kurmethod emot utartade veneriſka Sjuckdomer. Udg. af Osbeck i Stockholm 1811.

*****) Exposé de la methode pour guerir les maladies veneriennes, degenerées, par Osbek 1811. Hic liber A. 1813 in linguam germanicam est translatus.

syrupus sarsaparillæ vel gallicum medicamen *Roob antisyphilitique*, quod medicamen apud nostros pharmacopolas tolerabili pretio nunc venale est, beneficam *Winslowii* methodum magna ex parte velut pepulit.

Hoc medicamen *Roob antisyphilitique* jam *Tode* commemorat in suo Museo, quod supra monuimus pag. 243, et ibidem docet, illud compositum e Gallia advectum a Chemiæ peritissimis Havniæ exploratum esse et tum apparuisse, nihil mercurii eo contineri. Illud *Roob* quoque *magna cum utilitate ab ægrotis adhibitum vidi*, *quos mercurialibus affectionibus vexari manifestum erat*, *et in his hoc præparatum*, *Roob*, *mercurio non adjuncto*, *cum regimine quodammodo restricto et cum decocto Sarsaparillæ*, *pro potu ordinario*, *conjunctum*, *mirabilem effectum habuit*. Nihilo tamen minus casus quoque existunt, quorum nonnullos ipse cognitos habeo, in quibus curandi ac sanandi methodus supra memorata *non suffecit*, *et necesse visum fuit*, *supra nominato Roob dosin mercurii sublimati corrosivi* *) *convenientem apponere*. Sub hisce circumstantiis semper expertus sum, *mercurialia*, *quibus ægrotus ante usus fuerat*, *mercuriales affectiones citius protulisse*, *quam omnes affectiones venereas*, *quæ præsto erant*, *sustulisse*. In hisce casibus ferri potest, ægroto, cum corporis constitutio ad statum normalem reducta sit, dosin unius vel alterius mercurialis præparati, cum supra memorato Roobii et decocti sarsaparillæ usu conjuncti, convenientem propinari.

Quare cum, experientia longi temporis magistra, didicerimus, *remediis mercurialibus præcipue postpositis*, *convenienti magisque restricto regimine*, *sæpe minus rigida diæta*, *eam puto*, *cui ægrotus antehac ferê adsvetus fuit*, *et caloris beneficio*, *extrinsecus ad corporis superficiem applicili*, *multos casus difficillimos morborum venereorum sic dictorum leniri posse*; *non est*, *cur mireris*, *obstetricem supra memoratam*, *nomine Larsen vocatam*, *ab ægrotis*, *quos suæ curæ traditos tractavit*, *et sæpe jam convalescentes recepit*, *laude supra meritum ornari*. Ulcera mercurialia in superficie corporis externa, *mercurialibus remediis remotis*, ope cataplasmatis tepidi, cum alio, tam dolorem sedante, quam irritante remedio juncti, non solum sæpe sanari posse, sed etiam, ubi perfecta sanatio hoc remedio frustra tentata sit, illud certe lenire et effectum salutarem habere, facile intellectu est.

*) Cullerier: Ueber das Quecksilber, (mit Zusätzen, deutsch herausgegeben von Renard). Pesth 1822 Pag. 91.

In multis antiquis, ad medicinam popularem pertinentibus, libris *), danica lingva scriptis, ægrotos curandi ac sanandi methodi leguntur, non dissimiles methodo, qua sæpius nominata obstetrix, cui nomen Larsen, usa est **). *Ipsa hæc cataplasmata, remediis stimulantibus, ut Nicotianæ Tabaci foliis, mista, in totum organismum agunt* ***); neque medici nostri hanc actionem ignorant, nam cataplasmata sæpius quotidie applicantur. Ab hoc loco alienum duco, quid boni, quid vitii sanandi methodus, quæ obstetricis sæpius dictæ nomen celebravit, habere possit, commemorare. Neque volupe mihi est, ridendo castigare illos, qui hujus foeminæ tam sanandi methodum, quam medicinæ peritiam supra modum extollunt ****). Quamdiu adhuc desiderantur, quæ ad hujus obstetricis meritum in morbis diversi generis externis sat tuto dijudicandum et vere æstimandum adeo necessaria censenda sunt, tam diu homines, Æsculapeis sacris non initiati, de rebus a sua arte alienis verecundius et prudentius loqui debent, neque medicos scientes, probatos et expertes temere accusare, quasi in medicina et chirurgia decantatæ huic foeminæ cederent. Ut in aliis rebus, quas experimur, ita quoque in iis, quæ ad medicinam pertinent, *species tam facile decipit*, et plurimi errores e nimis temerario judicio de rebus, quæ in sensus cadunt, proficiscuntur. Equidem philosophis prorsus assentior, quibus placet, *veritatem objectorum, quæ experimur, et veram factorum cognitionem in omnium accidentium vel circumstantiarum externarum consensu positam esse.* Nostro seculo quoque scripta videntur, quæ *Thomas Bartholinus* centum et quinquaginta annis, et quod excurrit, ante nostram ætatem scripsit in suo libro de medicina Danorum domestica, Havniæ 1666, pag. 414.

*) *Thom. Barthol.* medic. Danor. domest. pag. 202.

**) Eliae Beynons barmhjertige Samaritan. Kjøbenhafn 1682 Pag. 52—67 o. f. v.
Hendrik Smids Lægebog. Lybeck 1598. Pag. 19. 20 o. f. v. Om Lægedom, som tjene til allehaande slags Saar.
Hans Holk, den kloge Mands Haandbog. Kjøbenhavn 1781 Pag. 134.

***) *A. J. Chrestien* Jatroliptik. E lingua gallica translata a Dr. Bischoff. Berlin 1805.
H. Jackson on the efficacy of certain external application. Philadelphia 1802.

****) Vide Ephemerides: Telegraphen No. 41. 19 Mai 1823 Pag. 803, Pag. 813. Statsvennen No. 28, No. 29. 1823. Telegraphen No. 9. 31 Julii 1823 Pag. 139. Statsvennen No. 53 den 17 August 1823. Telegraphen 20 August. Nyeste Skilderie af Kjøbenhavn 1823. No. 67, 68, 69.

Ipsius autoris verba hæc sunt:
"Itaque novum non est, mulieres, aliis medicis deficientibus, medicam artem "exercuisse, sed ferri non deberet, in urbe, Medicorum illustrium gloria flo- "rente, Medicas empiriam in aliis affectibus profiteri ad gynæcea non spectan- "tibus. Hafniæ tamen nihil frequentius inter nobiles ignobilesque. Novi et in "Provinciis consimiles, quibus bene precantur multi, qui aliis Medicis destituti, "eo tanquam ad sacram anchoram confugiunt. Rectius facerent in urbe Ma- "tronæ, Medicinam exercentes, si secretum suum Medicis sub juramento ape- "rirent, quibus saluti mortalium excubare datum est. Re enim penitius in- "specta, vulgaria sunt et trivialia Medicis, quæ pro secretis illæ venditant, et "quæ subinde pleraque vero supersunt. Totiens gloriantur morbos a se pro- "fligatos, quotiens remedium communicant. Certa tamen experientia scio, ista "plenis buccis decantata arcana spem promissam fefellisse, et vana specie "ægros delusos."

Exanthema mercuriale.

Alius morbi casus, diversus ab eo, quem supra diligenter excussimus, a nobis quoque promissus, et *male servato regimini sub usu mercurialium vulgo suam originem debens*, *præcipue*, *ubi ægrotus frigoris subitanei actioni simul se exposuit*, est illud, præcipue ab Anglicis medicis observatum et descriptum, *exanthema mercuriale,* sive *erythema mercuriale* *). Hoc exanthema, eczema mercuriale, (lepram mercurialem?) *J. Pearson* anno millesimo octogesimo quarto jam cognitum habuit, vide *J. Pearson*: Observations on the effects of various articles of the materia medica in the cure of lues venerea, pag. 167.

Ante id temporis medicorum plurimi hoc exanthema pro *forma anomala luis venereæ habuerunt*, *quodque opinio dominabatur*, *ubi hoc exanthema prorumperet*, *mercurii dosin augendam esse; hocce malum, in pejus ruens*, *in genus quoddam*

*) J. Horns Archiv f. med. Erfahr. Jahrgang 1812, 1ste Heft Pag. 145. J. Frank: Praxeos medicæ universæ præcepta. Leipzig 1815, partis primæ volumen primum pag. 177.
Sam. Cooper's neuestes Handbuch der Chirurgie in alphabetischer Ordnung übersetzt von Dr. L. F. v. Froriep 2 Band. Weimar 1812 Pag. 598.

lepræ mercurialis demum degeneravit. Tandem post annum millesimum octingentesimum quartum, quo *P. M. Mullin* *) divulgavit, efflorescentiam ejusdem indolis etiam in ægrotis apparuisse, qui ad alios morbos debellandos remediis mercurialibus uterentur, licet, eosdem affectionibus syphiliticis antea laborasse, ne minimum quidem suspicionis vestigium remansisset; jam inde ab illo tempore medicorum alii, illud idem experti, animum medicinæ curiosorum, ad hunc morbum advertere non neglexerunt. Opus, hunc morbum copiosissime tractans lectuque dignum, prodiit Londini Anglorum, anno 1810 in forma quarta **). Præterquam in hoc opere, ille idem morbus satis copiose tractatur in Samuel Cooper's neuestes Handbuch der Chirurgie Pag. 598—602.

Hoc exanthema cum aliis exanthematibus meo certe judicio non facile confundi potest, si modo hujus morbi symptomata essentialia diligenter tenentur ***). Attamen scriptor celebris J. Frank hoc exanthema cum miliaria, urticaria nodosa comparare necesse duxit. Ecce hæc tria exanthemata inter se ab illo comparata ****):

Miliaria.	*Exanthema mercuriale.*
a) Plerumque ad latera colli, ad *mammas*, ad antibrachia erumpunt.	*a*) Plerumque ad *scrotum et crura* efflorescit.
b) Peracta eruptione, *pruritus* in multis *nullus*, in aliis satis *moderatus.*	*b*) *Pruritus*, vel peracta eruptione, continuat, et quidem *summus.*
c) Liquidum, in pustulis contentum, *mite*, aliquando *inodorum.*	c) Liquidum, in pustulis contentum, *acre foetidumque.*

4. Quod sub forma tuberculorum sese exhibet *exanthema mercuriale*, hoc ægre *ab urticaria nodosa* distingvitur.

*) *Moriarty.* A Description of the mercurial lepra Dublin 1804.
Mullin: Essay on erythema mercuriale. Edingb. medic. and chirurgi. Journal 1806 No. 5 pag. 37.

**) *Alley*: Observations on the Hydrargyria or that vesiculair Disease arising from the Exhibition of Mercury. London 1810. (Edit. prima. Dublin 1804).

***) Hanc efflorescentiam sub forma laetius germinante apparere monstrat Dr. Kuhleis historiam erythematis mercurialis tradens in Ephemeride celeberrimi Hufelandi l. c. 1823 VI St. pag. 49.

****) *Frank*: Praxeos medicæ universæ præcepta. pag. 180—182.

Urticaria nodosa.	*Exanthema mercuriale.*
a) Plerumque in febribus, symptomatibus *gastricis* stipata, occurrit.	*a*) Plerumque cum febri, quasi *catarrhali*, comparet.
b) Apex tuberculi colore ex *albo rubro* instruitur.	*b*) Totum tuberculum colore *obscure rubro* notatum est.
c) Exanthema *fugax* est.	*c*) Exanthema *constans*.

5. *Exanthema mercuriale* sub forma pustularum erumpens, utpote summe pruriens ac anxietate stipatum, pro *zostere* haberi posset, nisi illud *totam*, quam aggreditur, partem, hoc medietatem tantum detineret.

Hyeme proxime elapsa *quatuor ægrotos*, curæ meæ traditos, sanavi. In *uno horum* exanthema jam inde ab initio ad finem usque observandi copia mihi oblata fuit. Hujus morbi historiam, qua possim diligentia, nunc traditurus sum.

Cerevisiæ coquendæ præfectum (Bryggersvend) triginta et unum annos natum, firma corporis constitutione, refrigerium, ut putabat, mandata negotia interrumpere et lectum petere coëgit. Quare dominus, qui sub cerevisiæ coctione hujus opera non facile carere posset, me arcessiri jussit postridie ejus diei, quo is, quem supra nominavimus, se ægrotare significaverat, nimirum *die decimo mensis Octobris anni proxime elapsi.*

Ægrotus questus est de doloribus omnium artuum, de cephalalgia frontali, de quadam tensione vel pressione regionis epigastricæ, conjuncta cum quadam anxietate, pulsu frequenti, lingva humida paululum obtecta, alvo biduo clausa et cute sicca.

Præterea accusabat *pruritum totius corporis*, *sed præcipue interioris superficiei utriusque cruris.* Locum postremo nominatum cum videre cuperem, is primum rogationi meæ satisfacere recusavit, dum severius monerem. Bubonem ingvinalem sinistrum illico offendi et quasdam excoriationes in regione frenuli præputii: præterea ejus indusium vestigia non obscura ostendit, unde apparuit, *illum se inunxisse in regione bubonis ungvento hydrargyri cinereo.* Bubonem diligentius examinans, crura rubescentia eorumque superficiem internam tuberculis parvis, ex parte confluentibus et eruptioni miliarium haud dissimilibus, tanquam obsitam comperi. Præter hæc ad internum usum hic ægrotus *a suo tonsore duodecim pul-*

veres acceperat, quorum quilibet duobus granis mercurii dulcis et decem granis sacchari albi constabat. Horum pulverum noster ægrotus septem doses hauserat.

Equidem non amplius dubitabam, quin hæc symptomata ægroti incipientia *exanthema mercuriale essent. Morbi tertio die,* nimirum *die undecimo mensis Octobris*, ægrotus de dolore intolerabili crurum et scroti urente, neque minus de vehementi pruritu totius corporis adhuc qvestus est. Scrotum pallido-rubrum, etiam parvis pustulis, quæ serum continebant, obsitum reperiebatur. Pari ratione hæ pustulæ hoc die ampliores apparebant in regione glandularum ingvinalium inferiorum, in eo ipso loco, ubi ungventum hydrargyri cinereum cum terebinthina inunxerat. In extremitatibus superioribus, pectore et collo, ubi ægrotus quoque de pruritu intolerabili questus est, nullum exanthema apparebat, sed cutis erat sicca et ardens. Postquam ægrotus mixturam constantem ex Sale anglicano et aqua anisi destillata sumserat, alvus soluta est, isque de cephalalgia, nausea et anxietate minus questus est. Ægrotanti, quem tussis irritans adhuc vexabat, svasi, ut cochlear magnum bihorio supradictæ mixturæ salinæ continuaret et præter hoc sumeret cochlear parvum hujus linctus.

℞ Tincturæ stibii Huxhami ℨij.
Syrupi diacodion. Ph. D. ℥ß.
— altheæ ℥ij. Msc.

Die duodecimo mensis Octobris. Ægroti somnus inquietus; is præcipue de intolerabili scroti et superficierum internarum crurum æstu questus est. Cutis magis humida, et *sudor ægroti foetebat.* Ejus bubo, ad cujus maturationem cataplasmata emollientia adhibita fuerant, nunc ruptus erat, et leves excoriationes præputii sanatæ erant. In brachiis et pectore quædam rubedo apparebat, ibique pustulas singulares indagabam; sed pustulæ scroti, nunc ampliores, plus seri continebant, et ex iis seri pars effluxerat, cujus *foetor abominabilis, mucori exhalanti fere similis.* Pulsus quodammodo frequens; ægrotus simul de siti et inquietudine questus est. Omnia hæc symptomata, quæ ultimo loco nominavimus, *ad diem decimum septimum Octobris usque* continuarunt, excepto quod efflorescentia in scroto et in superficie interna crurum latius serpsit, et serum gravius olens exsudavit.

Die decimo septimo Octobris pruritus præcipue in scroto et in cruribus ægroti adeo crevit, ut ægrotus fere tanquam demens totum scrotum excoriaret. Tum illud serum large fluxit et sequentibus diebus *enormis copia seri acris foetidi* ex his locis effluxit, ita ut indusium ipsaque tota lodicula hoc sero, graviter olente, humectarentur. Evenit quoque, ut egomet ipse aliquando hoc foetore et *hac aura foetida* propemodum corriperer, quod is in angusto suo habitaculo alacriter pulvinar tollebat, quo momento abominabilis, foetens, specifica aura mihi obvia facta permolesta fuit.

Ab hoc tempore symptomata febrilia decrescebant, lingva minus obtecta erat, et pruritus in ceteris corporis partibus tolerabilis. Ægrotus noctu transspiravit. In scroto præcipue, in rugis scroti nec non in superficie interna crurum frequens stillicidium seri supradicti, e poris transsudantis, observatum fuit.

Die vicesimo tertio mensis Octobris, sive decimo quarto die morbi, ægrotus bene se habuit; verumtamen de quadam faucium distensione et quodam oculorum dolore, qui lumen non facile ferre possent, ægrotus questus est. In facie sicut in pectore quædam desquamatio, tamen aliquanto crustosa, apparebat; harum crustarum *) quoque amplæ laciniæ in superficie interna crurum, etiam hic et illic in scroto, unde aliquid seri simul adhuc stillabat, conspicuæ erant. Dejectio alvi naturalis, appetitus viget. Equidem dosin mixturæ adauctam illum sumere jussi, ita ut illa eandem vim haberet, quam remedium leniter laxans; cui, cum de tussi adhuc quereretur, ut linctum continuaret svasi. Cavitatem faucium explorare non negligens, comperi, uvulam, arcus faucium et tonsillas nunc solito magis rubere, nullum tamen ulcus nullasque excoriationes ibidem inveni.

Nunc quotidie in pluribus faciei locis parvæ crustæ, præcipue circa oculos, apparere coeperunt, et tarsi oculorum aliquanto rubescebant ac distendebantur, quod tamen confestim evanuit, cum ægrotus decocto Malvæ sylvestris et jusculo avenaceo lavabatur; sed in scroto et utroque crure hæc crustosa efflorescentia multum diffusa erat, *quæ crustæ quotidie crescebant, earumque tanta copia visa est, ut matutino tempore totus lectus hisce crustis velut consitus conspiceretur, quarum foetor supra nominatus abominabilis erat.* Ægrotus crura non facile flectere

*) *Th. Bateman* l. c. pag. 379, 382.

poterat, quoniam crustæ, quibus obsita erant, distensionem valde dolorificam efficiebant, quæ distensio thermis, quibus ægrotus prudenter usus est, multum levabatur, cui levamini accessit frequens fomentatio beneficio jusculi avenacei in scroto et utroque crure. Bubo, de quo supra diximus, jam prorsus sanatus erat, neque alia symptomata syphilitica indagare licuit.

Ægrotus per octiduum medicaminibus ad internum usum abstinuerat, et satis habui, si is tantummodo sic dictam theam amaram biberet et hujus interdum tantam copiam, ut ipsius alvus laxa esset.

Die tricesimo mensis Octobris, die morbi vicesimo primo, ægrotus ad me venit et bene se habuit, solummodo questus de excoriatione levi ipsius scroti, nam, quoniam cutis valde tenuis erat, scrotum, sive is incedebat, sive se exercebat, confestim excoriatum est. Quare ei svasi, ut scrotum spiritu vini gallici, aqua diluti, lavaret, et illud interdiu aliquoties polline Lycopodii conspergeret. Ægroto balnea sulphurata svasissem, si his uti in illius potestate fuisset; et, si tempestas anni satis apta et opportuna fuisset, balnea marina ei præscripsissem. Neque diu est, cum hunc, cujus historiam morbi exposui, sanum et valentem obvium haberem.

Plurium morborum historias afferre opus non est; etenim hujus, quam postremo exposuimus, affectionis indoles ex iis, quæ jam diximus, satis elucet. Angustum, quo circumscribimur, spatium nos quoque vetat longiores esse.

Quod si, has affectiones morbosas, quæ sive prorsus, sive ex parte, mercurii abusui vel pravo usui suam originem debent, *exponens, quantulumcunque sit, aliquid tamen contulerim, ut practici ad hosce morbos animum magis advertant,* idque faciens, multis calamitosis hominibus profuerim; me non poenitet neque satis cautos neque satis scientes monuisse, persvasissimum enim habeo, homines, qui meliorem partem vitæ suæ saluti humanæ impenderint, et boni civis officio fungentes, mala, quantum in sua ipsorum potestate sit, a suis civibus et ab universo genere humano propulsent, non frustra vixisse.

Medici officium dicimus esse, curare ad sanandum apposite; finem, sanare curatione.

Cicero de invent. rhet.
